



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis
Maximi**

Werner, Ignaz

Lincii, M DC XCII.

§. VI. Dolor Sextus. Proponit Christum innocenter pro peccatoribus ad mortem damnatum, & ad Golgotheos clivos properantem cum cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

§. VI.

DOLOR SEXTUS.

Proponit Christum innocenter pro peccatoribus ad mortem damnatum, & ad Golgotheos clivos properantem cum cruce.

AH dolor indigno damnatur Judice virtus,
 Proscriptâq; gemit prodita lance Themis.
 Ah nullum reperit justissima causa patronum,
 Et pictas turpi Judice læsa cadit.
 Quàm meruit servus, persolvit Filius iram
 Serviliq; parat libera colla jugo.
 Nulla palæstinas tetigit clementia tures,
 Intorsit totas torva Megæra faces;
 Sic rea fit Pietas, quando furor arma ministrat,
 Heu mihi! quas lances triste tribunal habet!
 Jura scelus versat, fert inclementia leges,
 Hic reus es, quisquis visus es, esse nocens.
 Ah sequere! immanis quò te vocat aura dolorum,
 En patet in poenas Golgotha calva tuas.
 Golgothei tumuli referant ferale theatrum,
 Strataq; funeribus semita pandit iter.

F 3

Ah

Ah paradisiacæ malè culta colonia terræ!
 Delicijs perijt dextera lusa tuis!
 Primus Adam cecidit formoso perditus horto
 Alter Golgotheo pegmate mortis erit.
 Primus in Elysios audax procurrere ramos,
 Perdidit incautâ postera fata manu.
 Alter inornatus qua squallet funere vertex
 Perfidiam primi vindice morte luet.
 Primus amat flores, & amæni pignora veris,
 Sed magis autumnî flebile pignus amat.
 Alter amat tribulos, & acerbæ vulnera spinæ,
 Dumque vepres, primi vulnera sanat, amat
 Primus ab aligeræ proscriptus fulmine dextræ
 Exul in ignotæ pellitur arva plagæ.
 Alter ab ætherio sub amica silentia lunæ,
 Ut redimat lapsum, limine lapsus adest.
 Primus inhumanâ cœlestia lumina dextrâ
 Cluserat æterno non reſeranda die.
 Alter ut ærati recluderet ostia, cœli
 Fert humeris clavim, claviger ipse, crucis.
 Heu! quam dissimili volvuntur stamina fuso
 Ah! quàm dissimiles primus, & alter Adam
 Primus Adâ cecidit, ceciditq; secundus in horto
 Nec caruit fato casus uterque suo.
 Ut perimat, mortē præcerpsit ab arbore primus
 Materies mortis malus amæna fuit.

Heu

Heu! quantum nocuit pomona revulsa parenti.
O quantum crucifer profuit alter Adam.

Christus ad Peccatorem.

Hoc ego damnosum pensabo pondere malum;
Hoc pretio mortis nomina pendet amor.

§. VII.

DOLOR SEPTIMUS.

Proponit Christum in Cruce expiran-
tem pro Peccatoribus.

Ultima nobilium dilectaq; scena dolorum,
Quo meus extremo funere plangit amor.
Et genitus lachrymans, moriens dat sanguinis
undas.

Et niveo, & roseo perpluit imbre sinus.
Et redimit lachrymis, redimit quoque fonte
cruoris.

Profuit & fluctu sanguis, & unda suo.
Attamen extremis crux vitam suscipit ulnis,
Inter & amplexus mortua vita crucis.

Non tantum nocuit fatalis frondibus arbor,
Quâ malum infelix triste pependit onus: